



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE *FULGIDISSIMUM CAMPANIAE* SANCTUS IANUARIUS, EPISCOPUS ET MARTYR,

PATRONUS REGIONIS CONCILIARIS CAMPANIAE CONFIRMATUR Ad perpetuam rei memoriam. – Fulgidissimum Campaniae lumen, Sanctum Ianuarium Episcopum et Martyrem, ab antiquis patet temporibus istius regionis fideles peculiari esse veneratione prosecutos et prosequi, utpote validum intercessorem in caelis atque praeclarum fidei christianae exemplar imitandum in terris. Quoniam igitur Venerabilis Frater Noster Conradus S. R. E. Cardinalis Ursi, Archiepiscopus Neapolitanus, communia vota excipiens una cum Episcopis Campanis, electionem Sancti Iuanuarii Episcopi et Martyris, ut Patroni apud Deum Regionis Conciliaris Campaniae, rite probavit atque litteris die XV mensis Iunii hoc anno datis a Nobis petivit ut electio huiusmodi et approbatio, ad normam «Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30, confirmarentur, Nos rata habentes quae a Sacra Congregatione pro Sacramentis et Cultu Divino factis a Nobis facultatibus de hac re sunt statuta, certa scientia ac matura deliberatione deque summa Apostolica potestate, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Sanctum Ianuarium, Episcopum et Martyrem, Patronum apud Deum Regionis Conciliaris Campaniae confirmamus, omnibus adiectis iuribus et liturgicis privilegiis iuxta rubricas consequentibus. Ceterum mandamus ut hac Litterae Nostrae diligentissime serventur suosque effectus nunc et in posterum habeant, contrariis quibusvis haud obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVI mensis Iulii, anno MCMLXXX, Pontificatus Nostri secundo.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright 1980 - Libreria Editrice Vaticana
